

tantur, assumere patrocinium causarum coram iudice seculari extra casus hic expressos, ampliata est a Gregorio IX sequenti decretali, relata in cap. III, hoc eod. titulo, extendente hujusmodi prohibitionem ad quemlibet sacerdotem, etiamsi ex redditibus Ecclesie non sustentetur, ut eam legenti patet.

» Circa advocacionem causarum coram iudice laico a sacerdotibus aliquando exercitam, nimis indistincte locuti fuerunt Octavianus Vestrius in sua *Pract. lib. III, cap. IV, n. 4*, et Stephanus Gratiani *Discept. foren. cap. LVII, n. 38*, et Majolus, *De regul. lib. V, cap. XIX, n. 4*, asserentes ex tolerantia Pontificis servatum esse ut clerici in Romana curia advocacionis et procuracionis publica munera exercent contra juris regulas, quasi impune et sine ulla limitatione id permittatur; cum ceteroqui certis dumtaxat conditionibus hujusmodi facultas concedatur, prout animadvertit etiam hac in re Benedictus XIV, *de Syn. dioc. edit. ann. 1755, lib. XIII, cap. X, n. 12* per hæc verba ibi: « Sacerdoti enim seculari, qui scientie et juris peritiæ famam sibi comparavit, indulgetur ut, in tribunalibus etiam laicalibus, possit tam civiles quam criminales causas agere, prout advocati laici solent, dummodo in criminalibus judiciis ad defensionem tantummodo scribat et agat; nec ei interdicitur quin laborum procerium possit exposcere: superadditur tamen eo usque advocacionis exercitium eidem permitti quo usque certos ecclesiasticos redditus in congruam sustentationem aut beneficium residentiale fuerit assuetus. Unde patet dispensationem in hanc finem ipsi concedi ut habeat unde honestum sibi victum valeat comparare (Giraldus, *Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 207*). »

## ADNOTATIO XVIII.

*Lib. I. Tit. XXXVIII. De procuratoribus, § II, n. 44, pag. 91.*

AN FILIUSFAMILIAS POSSIT, INVITO PATRE, ESSE PROCURATOR?

« Decretali *Non injuste*, hoc titulo, in qua sine ulla limitatione statuitur constitui posse procuratorem ad judicia filiumfamilias, nec esse a iudice rejiciendum, accessit decretalis Bonifacii VIII, relata in cap. V *Qui generaliter*, hoc eod. tit. in 6, declarans constitui posse sine consensu patris, nedum ad judicia, sed etiam ad negotia, cum hac tamen distinctione quod, si deputetur ad negotia, debeat esse major XVII annis, si vero ad judicia, XXV (Giraldus, *Expos. jur. pontif. part. I, sect. 209*). »

## ADNOTATIO XIX.

*Lib. I. Tit. XXXVIII, § III, n. 71, pag. 95.*

DE MATRIMONIO PER PROCURATOREM CONTRACTO.

« Statuit Pontifex, decret. *Procurator* hoc eod. titulo, validum esse matrimonium contractum per

procuratorem cum speciali mandato ad hoc constitutum; cui sanctioni non defuerunt auctores qui senserint derogatum fuisse a concilio Tridentino cap. I, sess. XXV, de *Reform. matrim.* præcipiente ut contrahatur coram paroco et testibus, cumque hi, quando contrahitur per procuratorem, neque oculis suis conspiciant contrahentes, neque auribus suis ex eorum ore percipiant consensum, inde inferunt non esse validum.

» Verum, cum concilium addiderit tantum præsentiam parochi et testium, noluit de medio tollere hujus antiqui juris dispositionem, dummodo procurator coram iisdem contrahentium consensum exprimat, juxta tritas regulas *De regulis juris* in 6. « Potest quis per alium quod potest facere per seipsum. — Qui per alium facit per seipsum » facere videtur. » Et hoc nedum est communis opinio, et in praxi ubique recepta, sed etiam apostolica auctoritate firmata ex *Rituali Romano*, jussu Pauli V edito, tit. de *Sacramento matrimonii*.

» Hic quæri posset an qui matrimonium per procuratorem contraxerunt, illud iterum ipsimet coram paroco et testibus contrahere, vel saltem ratum habere debeant. Quidquid pro parte affirmativa nonnulli senserint, communis tamen sententia est alterutrum prudenter consuli, non autem necessarium esse, ut probat Benedictus XIV, cum doctoribus cumulate citatis, lib. XIII, cap. XXIII, n. 9, *De syn. dioc.*, edit. ann. 1755 (Giraldus, *Expos. jur. pontif. part. I, sect. 210*). »

## ADNOTATIO XX.

*Lib. I. Tit. XLII, de alienatione judicii mutandi causa facta, n. 15, pag. 150.*

CONTRA CALLIDITATEM IMPETRANTIUM.

« Nihil quidem novi, inquit Giraldus, ex jure canonico huic titulo accessit. Ad eum tamen reduci posset hoc sequens decretum Innocentii XII sub die 4 junii 1692, relatum in ejus bullario parvo n. 59: « Ut occurratur impetrantium calliditati, qua sæpius » vel iidem oratores vel eorum procuratores ac » sollicitatores, sive alii quicumque agentium aut » expeditorum nomine nuncupati, litteras gratiæ » vel justitiæ, cum valde notabili ipsius justitiæ ac » publici boni et quandoque animarum etiam præ- » judicio, in aula et curia Romana subripere con- » nantur, Sanctissimus Dominus noster Innocentius » divina providentia Papa XII expresse præcepit et » mandavit quod si quis in posterum preces, sive » supplices libellos in materia gratiæ vel justitiæ » alicui ex sacris congregationibus Urbis quomodo- » libet obtulerit seu præsentaverit, ita ut ab eadem » sacra congregatione vel in totum vel in parte » fuerint rejectæ, aut alias ipsa et congregatio, » mediante præfata præsentatione precum præ- » venta, manus quomodocumque desuper appo- » suerit, nequeat ullo modo idem negotium, » causam vel petitionem ad alteram ex SS. Con-

» gregationibus, etiam mediante rescripto Sancti- » tatis Suae (quod in hoc casu importune et » subreptitie Sanctitas Sua censeri voluit extortum) » sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore, » etiam simplicitatis et ignorantie, deferre, » vel primam Congregationem sponte a principio » aditam declinare, alias rescripta, decreta quæ- » cumque, indulta, gratiæ, litteræ, resolutiones vel » provisiones a secunda sive altera Congregatione » impetrata vel impetranda, necnon litteræ aposto- » licæ, quas illorum vel illarum vigore desuper » expediri contingeret, haberi debeant omnino pro » subreptitie extortis, nulliusque penitus sint ro- » boris vel momenti, nec ullatenus in judicio vel » extra suffragari possint et valeant, perinde ac si » non emanassent. »

« Præter dictam nullitatem præcipit ut nedum attentantes contra hoc decretum puniri possint pena carceris, vel alia arbitrio alterutrius Congregationis, sed etiam: « Quod procuratores, sollicitatores, » agentes et expeditores hujusmodi, ubi ipsi sint » qui, ignara parte seu principali, attentaverint, » omnino teneantur ad refectionem omnium expen- » sarum atque damnorum, quas vel quæ per suos » principales hac de causa pati contingeret vel con- » tiggeret, atque ad id summarie per eundem » secretarium, facto tamen, ut supra, verbo in ipsa » Congregatione, opportunis juris et facti remediis » compelli possint et debeant (*Expos. jur. pontif. part. I, sect. 214*). »

## ADNOTATIO XXI.

*Lib. I. Tit. XLIII, De arbitris, § V, n. 111, pag. 165.*

AN TANQUAM ARBITRI A PARTIBUS ELECTI, AUT TANQUAM JUDICES AB ECCLESIA CONSTITUTI, EPISCOPI PRIORUM SÆCULORUM JUDICIA PRONUNTIAYERINT, IN CAUSIS ETIAM TEMPORALIBUS?

Circa hanc questionem sic se habet DD. Bouvier, episcopus Cenomanensis in Gallia, *Préc. histor. et canon. sur les jugements ecclésiastiques*, Paris, Leroux et Jouby, 1832: « Aucun catholique ne peut » contester que les évêques, successeurs des Apôtres, » n'aient exercé comme eux de véritables juge- » ments en matières correctionnelles et criminel- » les. Nous les voyons constamment appliqués à » redresser les torts, à réprimer les scandales, à » corriger les coupables, à décerner des peines » contre les rebelles, afin de maintenir la pureté » des mœurs et la régularité de la discipline aussi » bien que l'intégrité de la doctrine. En fait de » doctrine, ils étaient des juges sérieux et réels, » personne ne peut le nier; ils ne l'étaient donc » pas moins en ce qui concerne les mœurs et la » discipline. Les mœurs d'ailleurs sont réglées par » la doctrine, et l'observation ou la violation des lois » disciplinaires tient essentiellement aux mœurs » des chrétiens et surtout des clercs. Point de dif- » ficulté à cet égard (Zallinger, *Inst. jur. ecclésiast. priv. t. I, pag. 348*, édit. Rom. 1832.)

» Restent les jugements ecclésiastiques touchant » les affaires temporelles soit des fidèles, soit des » clercs entre eux ou vis-à-vis des laïques. Les » évêques en connaissaient, cela n'est pas douteux, » d'après ce que nous avons vu. Mais en connais- » saient-ils comme arbitres choisis par les parties, » ou comme juges dont elles ne pouvaient décliner » la juridiction? Procédaient-ils par voie de com- » position amiable, de simple arbitrage, ou par » forme de jugement au moins quant à la sub- » stance? Là-dessus les auteurs ne sont pas d'ac- » cord. Blondeau (t. I<sup>er</sup>, pag. 757), Fleury (7<sup>e</sup> dis- » cours, n<sup>o</sup> 2, t. XIV), d'Héricourt (E, XIX), et » généralement les canonistes français, auxquels il » faut joindre Van-Espen (part. III, tit. I, cap. 1.), » soutiennent que les évêques n'étaient que des » arbitres qui intervenaient pacifiquement pour » arranger les affaires à l'amiable. Au contraire, » Devoti (savant canoniste, né à Rome en 1744, » professeur de droit-canon à la Sapience, camé- » rier et secrétaire de Pie VII, archevêque in par- » tibus de Carthage; *Institutiones canonicae* 4 vol. » in-12 ou 2 in-8<sup>o</sup>, citant un grand nombre d'au- » torités (t. III, pag. 18, 20 et suiv. édit. Rom. 1818), » est fortement d'avis que, même dans ces sortes » d'affaires, les évêques étaient de véritables juges; » que les fidèles et les clercs qui avaient des diffé- » rences à vider n'étaient pas libres de les choisir » comme arbitres ou d'aller devant les tribunaux » civils; que, d'un autre côté, les évêques étaient » tenus par leur ministère d'accueillir les causes » qui leur étaient déferées, d'entendre les raisons » pour et contre, de concilier les parties et, s'ils ne » le pouvaient pas, de prononcer avec autorité, » comme le dit saint Augustin (*De opere monach. n. 37, t. VI, col. 499*). »

Hic referre juvat sanctissimum D. N. Pium Papatam IX damnasse litteris encyclicis *Quanta cura*, 8 dec. 1864, propositiones sequentes:

« XIX. Ecclesia non est vera perfecta que societas, plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire que sint Ecclesie jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat (Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854. — *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860. — *Maxima quidem*, 9 junii 1862).

» XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam (Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1832).

» XXV. Præter potestatem episcopatus in hærentem, alia est attributa potestas a civili imperio, vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio (Ibid.).

» XXVII. Sacri Ecclesie ministri, Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi (Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862).

» XXX. Ecclesie et personarum ecclesiasticarum

» immunitas a jure civili ortum habuit (Litt. apost. » *Inter multiples*, 10 junii 1851).  
» XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus » clericorum causis sive civilibus, sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam in » consulta et reclamante apostolica Sede (Alloc. » *Acerbissimum*, 27 sept. 1852. — *Nunquam fore*, » 13 dec. 1856).»

## ADNOTATIO XXII.

*Lib. II. Decretalium. Tit. I. De judiciis, § I, n. 52; pag. 171.*

## AN INSTANTIA JUDICII, DE JURE CANONICO, SIT PERPETUA?

« In decretali *Venerabilis* statuit Honorius instantiam judicii non perire per lapsum triennii. Verum huic sanctioni derogatum est a concilio Tridentino sess. XXIV cap. xx de *Reform.* præcipiente causas omnes tam civiles quam criminales, ad forum ecclesiasticum pertinentes, terminandas esse intra biennium (ad instar juris civilis, quod in causis criminalibus præfixit biennium, L. *Forma C. ut intra cert. temp. quæst. crimin. etc.*), licet in civilibus triennium indulerit L. *Properandum*, in princ. C. de *Jud.* Quæ conciliaris sanctio declarata est a Gregorio XIII, et respective ampliata a Clemente VIII, ut ostendam part. II, cum de cit. cap. xx.

» In foro attemen, non obstante hac conciliari dispositione, invaluit opinio ut instantia de jure canonico sit perpetua, ut respondit Rota in *Tuler. parochialis S. Christinae de Valeræ*, 3 martii 1732 coram Emin. Crescentio, inter impressas decs. 1756 n. 6, et aliis allegatis in *Barchinon. jurisdictionis super attentatis*, 28 martii 1757, coram clar. mem. Bussio.

» Hæc vero perpetuitas non excedit triginta annos, quod cæteroaquin in jure novum haud est. Duobus vero casibus ante lapsum triginta annorum instantia perimitur, unus est si accesserit sententia litem desertam declarans. Alter est, si elapsum sit decennium, simulque indubie constet de malo jure ejus qui litem instituit, ut firmavit Rota in *Ferrariens. capellanæ*, 21 martii 1727 § *Quod vero*, coram. hon. mem. Crispolito, et in *Pampelon. beneficii de Villafranca*, 23 januar 1730 § *Quæ cum ita se habent*, coram clar. mem. Cencio.

» Effectus autem hujus opinionis est quod gratiæ quæ a sancta Sede conceduntur ob litem pendentiæ, ut subrogatio gratiosa in juribus defuncti colligantis, et gratia derogatoria juris patronatus, in totum sustineantur, si a litem introductione elapsi non sint triginta anni, et neutra concurrat modo dicta limitatio.

» Fundamentum hujus opinionis hoc aliquibus videtur esse, quod licet Concilium statuerit quod causæ saltem infra biennium a die motæ litem terminentur, in casu tamen contrario neutquam disposuit ut instantia perimeretur sed « post id

» spatium (dixit) liberum sit partibus, vel alteri » illarum, iudices superiores, alias tamen compe- » tentes, adire, qui causam in eo statu quo fuerit » assumant, et quamprimum terminari curent. » Sibi igitur imputari debent partes quæ non cura- » runt ut causæ a iudicibus superioribus, prout præscripsit concilium, non fuerint terminatæ (Giraldus, *Expos. jur. pontif. part. I. sect. 225*). »

## ADNOTATIO XXIII.

*Lib. II. Decret. Tit. I. § II, n. 51, pag. 174.*

## DE CAUSIS SUMMARIE TRACTANDIS.

In constitutione Clementis V extra concilium Viennense hæc reperitur: « Dispendiosam prorogationem litem, quam interdum ex subtili ordinis judicarii observatione causarum docet experientia provenire, restringere in subscriptis casibus cupientes, statimur ut in causis super electionibus, postulationibus vel provisionibus, aut super dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus vel præbendis seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super decimis, ad quarum etiam præstationem possunt qui tenentur ad eas præmoniti censura ecclesiastica coerceri, nec non super matrimoniis vel usuris et eas quoquo modo tangentibus venturandis, procedi valeat de cætero simpliciter et de plano ac sine strepitu judicii et figura. Volentes non solum ad futura negotia, sed ad præsentia et adhuc etiam per appellationem pendentiæ, hoc extendi. »

Porro verba hoc « simpliciter et de plano ac sine strepitu judicii et figura » declarata sunt ab eodem Clemente, cap. II *Sape contingit, de Verborum significatione*, eod. tit. in Clementinis.

Hæc eadem norma præscripta procedendum est in causis inter ordines mendicantium et Ecclesiarum prælatos, enumeratis in Extrav. Joannis XXII inter comm. cap. un. *Frequentes*, hæc eod. tit. et in decretali Bonifacii VIII *Super cathedram* ad ipsos mendicantes pertinente, inserta in Clem. *Dudum 2, de Sepulturis*, et in cit. cap. *Frequentes* confirmata; in quibus præcipitur ut, in iis quæ judiciale requirunt indaginem, procedatur summarie et simpliciter de plano, sine strepitu judicii et figura. Cf. DD. Bouvier. *Précis histor. et can. sur les jug. ecclés.* part. II. § XVII *Du jugement sommaire*.

## ADNOTATIO XXIV.

*Lib. II. Decret. Tit. I. § II, n. 62, pag. 176.*

## DE VARIIS JUDICIORUM CRIMINALIUM GENERIBUS.

Consultantur opus DD. Bouvier, *Précis hist. et can. sur les jug. ecclésiastiques*, nec non opus DD. Baillès, episcopi olim Lucionensis, *Des sentences episc. dites de conscience informée*, Parisiis, 1852, Leroux et Jouby.

## ADNOTATIO XXV.

*Lib. II. Tit. I. § III, n. 65, pag. 176.*

## RES SPIRITUALIS, QUÆ ET DE PACTIS JURAMENTO FIRMATIS.

Cf. ea quæ dicta fuerunt volum. primo, Adnotatione V, et ab auctore nostro, lib. V decretalium, tit. III. de *Simonia*, ubi expendit quid sit res spiritualis.

Ex cap. III *Novit ille*, tit. I, de *Judiciis*, hæc firmatur regula quod, quando agitur de causa reali, quæcumque illa sit et quæcumque respiciat personas, cui adjectam sit juramentum, illius cognitio privative spectet ad iudicem ecclesiasticum, si de ejusdem juramenti fractione agatur. « Porro, ait Benedictus XIV, de *Syn. diœc.* lib. IX cap. 9, n. 8, hoc titulo omnes fere » questiones ad iudicem ecclesiasticum olim » devolvebantur, quoniam, inquit Monacius ad » l. VIII cod. de *Episcopali audientia*, nunquam » fere omitebant tabelliones adicere præstitum a » contrahentibus sacramentum de servandis quæ » pepigissent. Et nihilominus tam sancta hæc disciplina pluribus sæculis retenta est ut principes » laici non ausi sint illam infringere; nec alium » sibi modum suppetere existimaverint impediendi » ne hac ratione omnes causæ a suis foris ablegarentur quam prohibere ne deinceps contractus, » pacta, aliæque negotia firmarentur juramento, » quod in Lusitania, aliisque in locis, legibus cautum refer Felicianus de Olivo, *For. ecclesiast.* part. I quest. 30, ubi simul has leges irritas » contendit. In Gallia tamen, si vera narrat sæpius » citatus Alteserra, de *Eccl. jurisdic.* lib. VI, cap. x, » non solum interdictum fuit ne deinceps juramentum apponeretur contractibus, sed simul sancitum et contra legem prohibitionem appositum » vires amplius non haberet causam pertrahendi » ad forum ecclesiasticum. Olim tanta erat, scribit » Alteserra, jurisjurandi religio ut jusjurandum » omnibus contractibus apponeretur quo fides contractus religione jurisjurandi tutior esset. Hac » occasione usu venit, si fides secularibus, ut » episcopi cognoscerent de contractibus et de » feudis, propter juramenti vinculum in his interpositum, cap. *Novit, de Judiciis*. Hæc de causa » vetitum ne jusjurandum contractibus apponeretur, neve ulla ejus ratio in iudiciis haberetur, » ne hoc obtentu sæcularis jurisdictionis evacuetur, » quoniam jusjurandum non debet esse vinculum » iniquitatis. »

## ADNOTATIO XXVI.

*Lib. II. Decret. Tit. I, § III, n. 80, pag. 179.*

## LAICIS, NEGOTIIS TEMPORALIBUS ECCLESiarUM PREPOSITIS, NULLA POTESTAS AUT PRÆEMINENTIA SUPER IPSAS ECCLESIAS ET CLERICOS COMPETIT.

In concilio provinciali primo, anno 1829, Baltimore in America celebrato, confecta sunt sequentia decreta:

« V. Cum sæpius æditui laici abusi sint jure sibi a civili potestate tributo, in magnum religionis detrimentum, non sine fidelium scandalo, optamus maxime nullam in posterum erigi ecclesiam aut consecrari, nisi fuerit ab episcopo, in cujus diœcesi erigenda est, in cultum divinum et utilitatem fidelium instrumento scripto adsignata, quodcumque id fieri poterit; regularium etiam privilegiis sartis tectis servatis, secundum ea quæ a jure canonico et Romanorum Pontificum constitutionibus decreta sunt. Hoc tamen decreto nihil innovare volumus in ea ratione agendi quam in sua diœcesi episcopus Carolopolitanus jam servat.

« VI. Quoniam graves ortæ sunt turbæ diversis temporibus in hac provincia, laicis hominibus, præsertim ædituis, sibi perperam assummentibus jus patronatus, et (quod magis mirandum est) jus institutionis ad ecclesias seu missiones, adeo ut pastores, seu missionarios, sibi eligere valent etiam invito episcopo, eosque retinere in pastoralis munere contra episcopi voluntatem; vel eos quos episcopus probaverat rejicerent, vel dimittere aggredirentur, vel muneris sui exercitium impedire, subsidiis ad vitæ sustentationem subductis, seu alia quavis ratione; quorum conatibus nonnulli sacerdotes sinistros ob fines favisse aliquando noscuntur: litteris apostolicis san. mem. Pii Papæ VIII et Leonis XII, ac sacre Congregationis responsis inherentes, hoc nostro decreto declaramus repugnare prorsus doctrinæ et disciplinæ Ecclesie jus illud a laicis assumptum instituendi, seu dimittendi pastores, et insuper declaramus nullam jus patronatus cujuscumque generis, quod sacri agnoscent canones, competere nunc alicui personæ, laicorum congregationi, ædituorum cœtui, seu aliis quibuscumque personis in hac provinciâ. Declaramus etiam stipendia, seu subsidia quæcumque, quæ solent a fidelibus tribui, vel ob loca quæ in ecclesiis occupant, vel ob servitium quod ecclesiis seu missionibus sacerdotes impendunt, vel ut fundus ad ecclesiam ædificandam comparetur, vel ut ecclesia extruatur (quæ subsidia plerumque tribuuntur collatitia stipe, et nulla assignata ecclesiæ certa dote) nullum jus tribuere patronatus, quod a sacris canonibus agnoscat.

« VII. Insuper vehementer urgemus omnes hujus provincie præules ut religioni, paci ecclesie et sacerdotalis ordinis dignitati consulant, saltem facultates statim revocando, vel ab omni sacro munere suspendendo, quoadusque post integram penitentiam et satisfactionem ipsis præsulibus visum in Domino fuerit, quemcumque clericum qui aliquatenus usurpationis hujusmodi fabricator, seu ei consentiens fuerit, prout a Tridentinis Patribus est statutum.

« VIII. Præterea, si plebs aliqua seu congregatio, seu ædituorum cœtus, seu alii quicumque aggressi fuerint aliqua ratione, contra præsulis voluntatem, in ecclesia retinere sacerdotem aliquem qui a præsule non fuerit approbatus, vel cujus facultates

fuert ablata, vel qui suspensus fuerit (quamdiu non fuerit a legitimo superiore rehabilitatus); vel si congregatio illa, seu ædituorum cœtus, molestiam inferat in suo munere obeundo alicui sacerdoti sacrum munus exercenti cum præuis approbatione, aut subducat vel retineat consuetum subsidium ad illius sustentationem, præsules urgemus omnino ut tum demum interdiciant ipsorum ecclesiam (quoadusque tanto malo remedium afferatur), cum cætera omnia remedia inutilia esse appareat. Hortamur etiam omnes præsules in hac provincia, ut sæpe sæpius administratoribus rerum temporalium, quæ ad ecclesiasticos et pios usus destinantur, proponant et inculcent et executioni demandari curent quæ a concilio Tridentino in eam rem sunt sanctissime decreta, sess. XXII, cap. XI, de Reformatione. »

Porro sacra Congregatio de Propaganda fide, in generali conventu die 28 Junii anno 1830 habito, accurate perpendit acta et decreta prædictæ synodi provincialis Baltimorensis. Quoad citata superius decreta, S. Congregatio episcopis per modum instructionis insinuanda esse existimavit puncta quæ sequuntur.

« In quinto decreto ostenditur quantopere synodus cupiat in posterum non ædificari novam aliquam ecclesiam « nisi fuerit ab episcopo in cultum » divinum et utilitatem fidelium instrumento » scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit. » Valde optandum esset vola hac de re impleri, ad vitanda præsertim incommoda quæ hactenus in America ob ædituorum agendi rationem Ecclesia passa est: ut vero constet per hoc decretum episcopos nolle regularibus aliquod detrimentum afferre, addi posset regularium privilegia sarta tecta servari, secundum ea quæ a jure canonico et Romanorum Pontificum constitutionibus decreta sunt.

« In sexto decreto, ubi episcoporum auctoritas defenditur contra institutionem pastorum, hæc verba adhibentur: « Hoc nostro decreto declaramus repugnare prorsus doctrinæ et disciplinæ » Ecclesiæ jus illud a laicis assumptum instituendi » seu dimittendi pastores. » Optaret S. Congregatio hæc verba præterea adjungi: « litteris » apostolicis san. mem. Pii PP. VIII et Leonis XII, » ac S. Congregationis responsis inhærentes, hoc » nostro decreto declaramus... » Ita enim luculentius apparebit quanto studio Sedes apostolica conata sit episcoporum jura contra laicorum usurpationem defendere. In eodem decreto sexto declaratur « nullum jus patronatus cujuscumque generis, quod sacri agnoscunt canones, competere » alicui personæ, laicorum congregationi, ædituorum cœtui, seu aliis quibuscumque personis in » hac provincia. » S. Congregationi visum est addi posse vocem *hactenus* declarationi quæ nunc memorata est. Licet enim nunc episcopis constituerit nullum jus patronatus ejusmodi in fœderatis provinciis ad quemlibet pertinere, poterit fortasse

aliquando in posterum contingere ut, etiam in iis regionibus, jus patronatus obtineat, servatis quæ a sacros. concilio Tridentino statuta sunt sess. XXIV, cap. XIII; et sess. XXV, cap. IX de Reformatione. » (*Concilia provincialia Baltimori habita ab anno 1829 ad annum 1849*, editio altera; Baltimori, 1851 apud Joan. Murphy et socium, typographos ac bibliopos, via mercatoria n° 178.)

In concilio Baltimorensi plenario, anno 1852 celebrato, sub decreto XVII legitur: « Monemus sacerdotēs qui Ecclesias administrant, quarum titulus episcopis traditus est, ne ædituos in iis absque episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne liberæ earum administrationi impedimentum aliquod nascatur *Concil. totius Amer. septentr. fœderatæ Baltimori habitum*, Baltimori, Murphy, in 8°). »

## ADNOTATIO XXVII

*Lib. II. Decret. Tit. I, § IV, n. 86, p. 180.*

REGULARITER CLERICI AD FORUM SÆCULARE NON TRAHENDI.

Exc ap. IV, *Etsi*, hoc eodem titulo, irrita dumtaxat declaratur sententia, lata contra clericos a iudice sæculari; nulla tamen in hunc infligitur pœna, quæ quidem est excommunicatio Papæ reservata in bulla, die Cœnæ Domini legi solita.

Vide etiam litteras encyclicas Pii Papæ IX *Quanta cura*, 8 dec. 1864, et Syllabum annexum, complectentem propositiones damnatas.

## ADNOTATIO XXVIII

*Lib. II. Decret. Tit. I, § IV, n. 117, pag. 185.*

IN QUO CASU CLERICUS FLAGITIOSUS CURIÆ SÆCULARI TRADI POSSIT?

« In decretali 10, *Cum non ab homine*, hoc titulo, statutur si procedendum sit contra clericum reum delicti, depositione digni, serventur quatuor sequentes gradus: — I. Ut deponatur. — II. Ut, si non se corrigit et delictum iteret, nec depositionem servet, aut deteriora crimina perpetret, excommunicetur. — III. Ut, crescente contumacia anathematizetur; quæ anathematizatio, licet non habeat majorem effectum quam excommunicatio, cum eadem sit ac anathema, fit tamen publice et cum certis solemnitatibus, scilicet duodecim sacerdotibus cum candelis accensis, quas post sententiam prolatam extinguunt, et projectas conculcant, qui est modus et forma publicæ excommunicationis, can. 106 *Debet*, caus. XI, quest. 3. — IV. Demum si non resipuerit, quin potius in profundum malorum devenit, ne sit perditio et damnificatio plurimorum, tradatur curiæ sæculari, digne pœna plectendus.

» Hic tamen quartus gradus tunc locum habere debet, quando Ecclesia non propter defectum aliarum pœnarum vel potestatis, sed propter poten-

tiam ejusdem clerici criminosi non posset illum coercere, quo casu verificatur quod eadem Ecclesia non habeat ultra quid facere.

» Non obstante autem gradatione hic præscripta, non desunt plures doctores qui, juxta animadversa a Benedicto XIV, lib. IX, cap. VI, n. 9, de *Syn. diœc.*, « ita hanc decretalem interpretantur ut per » eam minime prohiberi opinentur ne clericus, » parricidii insidiosus aut sacrilegi, vel alterius atrocissimi criminis reus, prædictis pœnarum gradibus non servatis, statim tradi possit curiæ » sæculari. Ita ad præd. cap. docuere Ancharanus » n. 10; Alciatus, n. 22; Martinus del Rio, *Disquis. magic.* lib. V, sect. 16 § *Si quæras quid iudici liceat*, aliique relati a Farinacio, *Præc. crimin.* » quest. 8, n. 81.

» Verum communis doctorum sententia indubitanter affirmat, ad actualem clericum cujuscumque criminis rei degradationem, præter enumeratos » casus a jure speciatim expressos, non posse procedere nisi ille sit incorrigibilis, hoc est, uti a » Cœlestino audivimus, nisi Ecclesiæ monita, sibi » que gradatim inflictas canonicas depositionis et » excommunicationis pœnas, pervicaciter contempserit. Superfluum quippe fuisset in quædam sæcularia clericorum flagitia degradationis pœnam nominatim decernere, si hæc potuisset cuicumque clerico flagitioso statim irrogari. Neque ad » rem facit immanius scelus esse parricidium, quam » forte sit aliquod ex iis exceptis, ob quod clericus, nulla præmissa canonicarum pœnarum gradatione, permittitur statim tradi curiæ sæculari; » etenim leges pœnales non complectuntur delicta » quæ non exprimunt, etiamsi sint expressis graviora...

» Instar igitur regulæ sit neminem clericorum, » quantumvis flagitiosum, posse ab episcopo actu » degradari et curiæ sæculari tradi, nisi, post ei » inflictas alias pœnas in cit. cap. *Cum non ab homine* præscriptas, deprehensus fuerit inemendabilis, aut nisi sit reus alicujus ex enumeratis » criminibus a jure communi vel a pontificiis » sanctionibus nominatim expressis, quemadmodum docent Hostiensis, etc... » (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 219).

## ADNOTATIO XXIX.

*Lib. II. Decret. Tit. I, § VI, n. 153, pag. 191.*

DE MULIERIBUS AD JUDICIUM INVITE NON EVOCANDIS.

Sic loquitur Bonifacius VIII, cap. II *Mulieres*, hoc eod. tit. in 6; « Mulieres quas vagari non convenit, nec virorum cœtibus immisceri, auctoritate litterarum Sedis apostolicæ, vel legatorum ipsius, aut alia quacumque, ad iudicium personaliter evocari, vel trahi invitæ, causa ferendi testimonium, aut alia qualibet quæ in jure non exprimitur, prohibemus. Sed cum necessarium fuerit testimonium earumdem, iudex (in expensis partis

producentis easdem) tabellionem, aut aliam personam idoneam ad eas transmittat: vel si forte talis casus occurrerit, quo, jure prohibente, receptio testimonii alteri committi non possit, iudex tunc propter hoc personaliter ad illos accedat. Aut si talis sit personæ iudicata conditio quod id per ipsum non deceat fieri, vel non possit, mittat ad eas; proviso quod casus hujusmodi (videlicet ut iudex vadat personaliter) non fingatur, nec fraus interveniat in hac parte. Alioquin fictor hujusmodi vel fraudator ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Cæterum fœminæ, religiose præsertim, quæ debent sub clausura morari, extra suum monasterium vel clausuram non vocentur ad iudicium, vel trahantur ex quavis causa personaliter, etiamsi ad hoc voluntas accederet earumdem. Decernimus quoque ut ipso jure sit irritum et inane, si quid contra præmissa contigerit attentari. »

Notat Giraldus excommunicationem hic inflictam absolvi posse a quolibet confessario, cum non sit reservata, æque itidem eam a iudice incurri ob fictionem causæ, nisi revera sequatur accessus ad domum mulieris; incurreretur tamen, etiamsi hoc habito non sequeretur examen. Neque insuper incurreretur, si per alium, inscio iudice, ficta fuisset causa. *Navarr. Man. conf.* cap. XXVII, n. 25 (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 224).

Notat denique hic Francus, n. 1, cum Glossa *Exprimitur*, prohibitionem de non trahendis mulieribus invitæ ad iudicium esse intelligendam de mulieribus honestis, non vero de inhoneste viventibus quæ indistincte possunt cogi et trahi ad iudicium, etiam pro causis civilibus. Circa quam praxim vid. *Urdayam, Institut. criminal.* lib. IV, tit. III, n. 20 et 21 (*Giraldus, ibid.*).

## ADNOTATIO XXX.

*Lib. II. Decret. Tit. I, § VII, n. 182, pag. 196.*

AN CAPITULUM POSSIT AGERE DE BONIS COMMUNIBUS SINE CONSENSU PRELATI?

Præter ea, quæ ab auctore nostro circa hanc materiam dicta sunt, lege D. Bouix, *Tractatus de capitulis* sec. edit. et D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France devant l'Église et devant l'État*, Lecoffre, Parisiis, 1864.

## ADNOTATIO XXXI.

*Lib. II. Decret. Tit. I, § VIII, n. 201, pag. 200.*

AN VICARII CAPITULARES INTRUSI, ANNO 1809 ET SEQUENTIBUS, IN GALLIA, HABUERINT JURISDICTIONEM, STANTE ERRORE COMMUNI SIMULQUE ACCEDENTE TITULO COLORATO?

Videtur respondendum negative ex eo quod contra prædictos intrusos decernatur a jure clausula *Irritum et inane*, quæ inficit omnem titulum